

† R. P. Dionysius Mitchell (1877-1939)

(Prov. Austral.)

Festo Corporis Domini transacto, cita mors noctu carissimum nostrum confratrem e vita rapuit in eadem domo Mayfield ad S. Alfonsi, in qua, annis quadraginta et uno ante, novitiatu impleto, Deo et Congregationi propense se dederat. Ibidem consilio suo Pl. R. P. Provinciali inservierat usque ad illam noctem 8 Iunii, in qua somnno sese dedit et nunquam e somno suscitatus est.

Priusquam cubitum iret, R. P. Mitchell confessionem sacramentalem fecerat, et mane, casu tristi comperto, Pl. R. P. Provincialis sine mora absolutionem iteravit necon Adm. R. P. Rector sub conditione sacram unctionem ministravit. Qua de causa constat mortem confratris, forsitan subita neam, nullo modo improvisam fuisse.

Apud Bendigo, in dioecesi Australiana Sandhurst et Civitate Victoria, 3 die Septembris 1877 R. P. Mitchel natus est. Tempore statuto in Collegio S. Patritii in Goulburn, optimo praeditus ingenio, disciplinas praeparatorias absolvit. Deinde anno vigesimo aetatis suae novitiatum petivit: et, votis emissis die 1 Martii 1898, in Hiberniam progressurus navem concendit. Studiis persolutis Limerici et Tavae et Pulchriugi haud parva praeclentia, 25 die Septembris 1904 ad sacerdotium promotus est.

Reversus in Hiberniam aliquamdiu clericos studentes philosophiam edocuit. Exinde in patriam redux, primo missiones praedicavit: postea vero grammaticae disciplina alumnos in iuvenatu eruditivit. Denuo ministerium externum assumpsit, quo in munere uberrime effulgebant eius zelus et benignitas ubique, in Australia, Nova Zelandia et Insulis Philippinis.

Nunquam a spiritu S. Patris Nostri deficiebat. Fideliter opera Legiferi Patris meditabatur. Iesum Eucharisticum flagranter colebat. Caritatem maxime aestimabat, adeo ut confratribus vere esset frater populisque in sacro tribunali medicus et amicus.

Infra contionem funebrem, die 10 Iunii, Eximus et Ritus Episcopus Maitlandensis Edmundus Gleeson, C. SS. R., dixit: « Vir defunctus erat orationi devotus: pro animabus labores et sacrificia vilipendebat: in viueam Domini Philippinam a Superioribus arcessitus maximopere gaudebat: lenis et mitis animas ad Deum facile trahebat: verus erat Redemptorista, spiritu Alfonsiano imbutus: in historia Congregationis gnaviter versatus, ita ut Superiores eum ad munus gubernandi Patres iuniores necon Nonius Secretarii Provincialis prompte elegerint. Finis apte vitam praeclaram illustravit: e vita enim discessit fultus verbis a S. Ecclesia in praecedenti festo Corporis Domini quasi ad portas aeternales prolatis: *O sacrum convivium in quo Christus sumitur: recolitur memoria passionis eius: mens impletur gratia: et futurae gloriae nobis pignus datur.*